Ms. 392

Dr. Varga László:

Karner Egyed „Unisonum Carmen" c. gnómagyűjteményének teljes szövege

(a kézirat alapján).

Debrecen.
1937.

Abbas cum Monachis.

1.

Post praelaturam noli tibi condere curam,
Fiet crede mihi cura futura tibi.
Factum non natum praelatum morigeratum
Non tamen elatum vult pia turba Patrum.
Non tractum raptum satis aptum non maculatum
Faxint praelatum, consona Vota Patrum
Non nimium Lautum, cautum, non inveteratum,
Prodest praelatum non nimis esse vagum.
Abbas esse petes: si claustro non tibi prodes,
Non tamen hinc aeris quaestor avarus eris.
Qui pascis plebes, prudenter vivere debes,
Ne simul ut titubas cum populo pereas.
Abbas activus numquam fuit ante nocivus,
Sed sunt passivis, quae nocuere viris.
Non nimium rigidus sit praesul, nonque molestus,
Abbas mansuetus fit decus, atque metus.
Parcere prostratis scit nobilis ira Leonis,
Hoc Abbas faciens semper erit sapiens.
Sint modo praelati dum culpant morigerati
In culpis tardi, munere sint propere.
Suscipiant animas, sed Christi Morte redemptas,
Conserventque datas Religione sacras.
Cogitet, ut moris praelatus in omnibus horis,
Quod sit danda Deo de Monachis ratio.
Si timor abscedit veneratio tota recedit:
Debet adesse timor, vel perit omnis honor.
Servit multorum bonus Abbas nunc Monachorum 2.
Moribus, et variis se variat Monachis.
Arguit hos, alios demulcet Religiosos,
Culpas dando malis, et bona verba bonis.

Fulcrum virtutum fiet discretio tutum,
Horret quod nimium saepe Monasterium.
Praelatus qualis, fiet Monachus cito talis,
Plus malefacta nocent, quam ~~bende~~ benedicta docent.
Praesulis ad normam Monachus faciet sibi formam,
Praesulis effigies fit Monachi species.
Discordes Monachi fuerant ab origine Claustri:
Quos pater ut poterit pacificare velit.
Non nimium lautas Abbas sibi nutriat aulas,
Splendida saepe leves protulit aula dies.
In lauta mensa praesul dispendia pensa
Quod cibat, et nutrit Regula Sancta cupit.
Claustri divitias ne liber dissipet Abbas:
Expressit Damnum Regula, non Dominum.
Non Dominus liber, sed sit velut ipse Minister;
Praesulis officium juge Ministerium.
Passim fit luctus praelati copia luxus:
Pompae non regnent, nam moderata decent
A tenui caena vigil est mens, atque serena,
Pinguia nunc(?) odit Musa, serena colit.
Qui plus expendit, quam rerum summa rependit 3
Praesul tam liber cogitur esse miser.
Perpendat praesul ne fiat taliter exul,
Plus non expendat, quam queat, et valeat.
Abbas in culpis permiscet dulcia duris,
Hoc praelatus opus palpat utrumque bonus.
Demulcendus erit, sine murmure quisquis obedit
Nam talis Monachus proficiet melius.
Proficiet praesul si virtus non erit exul,
Sit sat virtutis tam sibi, quam Monachis.
Perdit is arbitrium, qui contrahit aes alienum,
Hinc Abbas caveat debita ne faciat.

Profectum faciunt raro quos debita stringunt,
Alterius qui fit, jam suus esse nequit.
Est melius modicum si sit sine foenore justum,
Quam quodvis multum, si sibi non proprium.
Non debet nummis Abbas pinguescere multis,
Nec debet vitiis pinguior esse suis,
Non in depositis sit gloria maxima nummis,
Non in pomposis gloria magna cibis.
Moribus annosis Abbas pinguescat ubivis:
Sit virtuosis pinguis in obsequiis.
Omnis in excelsis sit conversatio Caelis, 4.
Haec fiet cuivis gloria magna nimis.
Mores praelati sunt omnibus omnia facti, (?)
Sed sit praelatus Paulus Apostolicus:
In Domino Monachus qui dirigat ut sit charus (?)
Atque pia Monachos corrigat arte malos.
Sit pia corda gerens Abbas, sine crimine vivens,
Semper sacra colens, jussa Deique loquens.
Nec velit a verae deflectere tramite vitae,
Verum syncerae caepta tenere viae.
Numquam falsa loqui, numquam promissa morari
Haec sunt Abbatis munia magna satis.
Gallia praelatum nuper dedit inveteratum,
Qui factus Monachis nausea magna suis.
Namque quaterdenis Abbas bene praefuit annis,
Hinc et apud regem sollicitant juvenem.
Rex ad praelatum cito scripserat inveteratum,
Ut tale antiquum — cederet officium.
Verum praelatus delatus ut inveteratus,
Quando respondit, talia verba dedit.
? quater denis didici pro viribus annis, 5.
Et totidem merito discere CD volo.

Abbas ille bonus fuerat, multumque beatus,
Cui quondam Monachi sic cecinere sui:
Tu patriam repetis, nos triste sub orbe relinquis,
Teque tenet requies, nos lacrymosa dies.
Et quia Claustra geris bis denis circiter annis,
Exeptus terris, justus ad astra redis.
Unionam sit Monachus? Vel quis sit Relligiosus?
Dico tibi brevibus sim licet exiguus.
Victibus exigui, viventes ut morituri,
Contemplativi semper erant Monachi.
Qui sunt activi sunt omnes Relligiosi,
Sunt et mendici Relligione pii.
Contemplativi, factivi Relligiosi
Sunt Benedictini sicut ego didici.
Nam sunt activi, cultores sunt et eremi,
Ut sunt Austriaci, vel Monachi Italici.
Fundavit Monachos Antonius inter eremos
Contemplativos Bruno dedit socios.
Sive sit activus Monachus, vel Relligiosus — 6.
Debet devotus vivere, et esse pius. —
Non decet, ut Monachus vadat sine compare solus,
Sed decet, ut solus claustra colat Monachus.
Ludere cum talis non est modo res Monachalis,
Plangere cum lacrymis est decor in Monachis.
Ludere cum foliis enormiter(?), haud quadrat illis
Nec quadrat veris alea nunc Monachis.
Assummant mores Monachi, qui sunt meliores, —
Se castigantes dent sine fine preces. —
Laetentur flentes, se consolentur egentes:
Et sint orantes, atque Dei memores.
Sint exemplares, nec quaerant res speciales, —
Et poscant tristes, semper in orbe dies.

Quod sint mortales, nec vivant perpetuales,
  Perpendant juvenes, praevideantque senes,
Tempore non modico, vario simul, et variato,
  Per pelagus nuper nauta peregit iter.
Vidit in Oceano de piscibus ut tibi dico
  Mira, velut solus, sic mihi narrat opus:
Veste cucullatos pisces quasi Religiosos 7. ?
  Vidit, qui variis sunt similes Monachis.
Sed Jesu = socios voluit quoque cernere nigros,
  Hos tamen ut narrat cernere non poterat.
Hinc admiratus per cordis et intima tactus,
  Stans exclamarat, sicque locutus erat:
O quam felices monachis modo similes pisces,
  Inter se qui vos non nutriunt socios:
At ego clamavi sunt omni sorte beati, ?
  Inter se socios, qui nutriunt Monachos.
Cur? quia divitias Monachus modo non petit ullas,
  Nam qui vult nummum non valet ille obulum.
Numquam nummorum Dominus vult esse duorum,
  Contemptor mundi, vel pietas Monachi.
Verum dic Monachum, qui nummum non habet ullum,
  Nec nummum quaerit, sed nec habere petit.
Quando quis nummum Monachus desiderat unum,
  Ficti non veri nomen habet Monachi.
Non bene conveniunt, nec in una sede manebunt,
  Contemptor mundi, proprietas Monachi.
Qui nova piscatur, per cellas saepe vagatur,
  Non est compositus pessimus hic Monachus.
Quem facile infestant, et suavia verba molestant, 8.
  Non est mansuetus, sed furor hic Monachus.
Desinat elatis Monachus confidere factis,
  Elatus furiis est Monachus similis.

Fraudis prosperitas Monacho si nulla potestas,
Infoelix fertur, qui regit, haud regitur. ?
Sunt extra claustrum, Monachi mihi credito plausum
Ut solet in magnis plaudere piscis aquis.
Sed sicut piscis moritur, qui stat sine lymphis,
Sic extra claustrum mors agitat Monachum.
Nec Stygius posset Pluto tentare, quod audet
Effrenus Monachus, plenaque fraudis anus.
Hoc ego declaro per factum, quod tibi narro,
Ex codice antiqui nempe Monasterii:
Nuper praesul erat, Iuvenalis nomen habebat NB
In nostra patria, Religione pia:
Hic bene praefuerat, zelose quaeque gerebat,
Cuius et Islandus semper amabat opus.
Zelus at eximius, quem tunc in tempore primus
Gesserat, iratis non placuit Monachis.
Hos inter iuvenes aliqui fuerant pueriles,
Mentibus elati, Religione vagi.
Annosum veterem, puerilem cumque priorem 9.
Non formidabant, talia verba dabant.
Non est cur plures culparum nempe rigores,
Per vim praelati nunc subeant Monachi:
In quibus excedit praelatus scire licebit,
Et confundetur, si mora nulla detur.
Praelati mores, quos audimus leviores,
Non quadrant rigido praesulis officio.
Nos inquiramus, praelatum non metuamus,
Nec dicamus ei, quod dabit esse rei.
Hisque peroratis, fit conspiratio talis,
Qualem, quae stabant saecula nulla dabant.
Ut nil dicatur, sed totum subticeatur:
Ad iuramentum fertur Evangelium.

ostquam iuratur, conclusio mira paratur,
  Adversus vitam praesulis innocuam:
t positis remotis more inquiratur ubivis,
  Ad confundendum praesulis officium.
inc tentant Monachi sine scitu saepe vagari,
  Et totum temere pro libitu facere.
oc ubi praelatus rescivit mentionatus,
  Correxit Monachos, ut decuit sciolos.
ed pro syncera praelati voce paterna, 10.
  In lingvis foedis, murmur erat Monachis.
ec poterant plures praelato tunc rationes
  Dicere: quam totus, quod vigeat rigidus;
inc per expressum veterem faciendo regressum,
  Iverunt tales, sicut eunt pecudes:
ili pendendo praelatum nec metuendo
  Hoc attentabant, quod bona jura vetant.
amque resistentem facinus prohibere valentem,
  Caedere praelatum non timuere suum.
ic excedentes, cultro contravenientes
  Praelatus sclopis excipit, et baculis;
t lex admittit percussos inde remittit,
  Ad claustrum: reliquam perficiendo viam.
i sic percussi claustrum repetendo regressi,
  Longe majores proposuere lues,
am condemnarunt praelatum, quem recitarunt
  Esse sequestratum, jureque depositum.
s haec absque mora, famuli vocitantur ad arma,
  Induitur quivis fustibus, et baculis.
t sic Abbatem rursus remeare volentem
  Excipiant, varias conglomerando minas.
raelatus rediens, adversi nil sibi credens 11. ?
  Dum claustrum repetit, sat mala magna tulit.

um per conductos poena mediante colonos,
Sclopis, et furcis impetitur variis.
ucitur, et trahitur, rebus cunctis spoliatur,
Incaptivatur, carceribusque datur.
terea Monachi quaerunt sursus vagabundi,
Ad juramentum cogere quemque virum:
itam praelati Monachi foedare parati
Scrophas, et vetulas, sollicitant varias.
rinia perquirunt, temere marsupia mungunt
Perque duos menses, se faciunt hilares.
raelati patrem venerandum spiritualem
Eminus affligunt, scire aliquid cupiunt.
t vel sic rabidi possent ad pessima prompti,
Contra praelatum crimen habere suum.
ed nihil elicitur, nec delictum reperitur,
Huic quod praelato posset obesse suo,
hinc quidam Monachi per pectoris intima tacti,
Errorem agnoscunt, et melius faciunt.
am captivatum tam longo tempore tractum
Salvant praelatum, restituuntque datum.
ualiter at praesul sic binis mensibus exul
Solatus multis se fuerit lachrimis,
os duraturo Monachis magno documento,
Hos a se factos tu lege versiculos. 12.

1.

ccasus ortum sequitur, ortus mox serenatur, ab his dum sol
epeditur, ab illis salutatur: nec Luna semper cernitur,
t tamen dominatur, sic justus cum subducitur: non sem-
er recinatur.

2.

Et ignis aurum perficit, leones Danielem,
t turba mendax elicit prophetam Samuelem,

desertum prius respicit, ex post hac Israelem,
et Job, quem Deus deprimit, facit sibi fidelem.

3.

Es justus scio Domine, dignus dilectione,
qui tuos soles premere sine distinctione,
qui non approximant ad te, reples confusione,
ut nomen tuum libere requirant in sermone.

4.

Nunc Juvenalis respice tempus quod jam recessit,
nec vitae cursum subtice, quem animus expressit,
nunc coram Deo judice profer, quid intercessit,
et inclinato capite, dicas: quid te suppressit?

5.

Unam petam a Domino, quod semper postulabo: 13.
ne sim in hoc eloquio, velut in volutabro,
coniunctus sim Paraclyto, cui mea conformabo,
et omnia, quae potero, syncere decantabo.

6.

Dixe mettum scivi facere, cum metam praefigebam,
ut mundum possim spernere: hoc rhetor persuadebam,
et Deum solum quaerere, post quem totus ardebam,
hinc habitum induere monasticum quaerebam.

7.

Annorum post octodecem professi nomen dedi,
et statim Aristotelem per annos tres excepi,
post inter Martis aciem, ad tuta me recepi,
ut hic ultra proficerem theologos accessi.

8.

Sedatis belli motibus theologus redivi,
ut concioner monitus: qua frater obedivi,
sacerdos statim positus, per annos quinque vidi,
credentium quod numerus Deo crescat, et mihi.

9.

Quid inter tot haereticos, et quanta non sum passus?
lupos expertus plurimos, a quibus molestatus,
et licet inter invidos sim saepe laniatus, 14.
tamen per istos stimulos semper sum exaltatus.

10.

His taliter exhibitis oeconomus sum factus,
per annos quinque singulis sum rebus adaptatus,
his annis in iuridicis eram tantum lucratus, ?
ut Abbas sim a plurimis futurus ominatus.

11.

Pecunias, et scrinium ad manus assignarunt,
factum a me quod solitum, et nulli reclamarunt,
quod fuerat absconditum, ut publicem mandarunt,
nam sudor, mens, ingenium cuncta multiplicarunt.

12.

Abbate post hoc mortuo, novum diu rogavi,
ut sim in monasterio, nam semper cogitavi,
quod status in hoc saeculo, pro quo tantum sudavi,
non sit sine periculo salutis, quod expavi.

13.

Admissis meis precibus sum tandem exauditus,
et properans ingressibus, benigniter adscitus,
in claustri penetralibus eram semper gavisus,
per diem binis vicibus ad cathedram admissus. 15.

14.

Locutus linguis variis, Dei verbum expressi,
ut mihi, sic et aliis non pauca felix gessi,
per annum his servitiis cum laude dum processi,
prioribus, ut cathedris inserviam recessi.

15.

Tunc primus in officio priori collocatus,

ut choro sic eloquio, feroque destinatus,
haec tria cum triennio cum essem consectatus
Abbas in longo somnio decessit, et humatus.

16.

Quindena mox indicitur: ut sistant se veloces,
vel calculos perscribitur, ut mittant tamquam voces,
in unum dum accurritur, palam fiunt sermones,
et Juvenalis creditur, ut Abbas inter omnes.

17.

De more factum scrinium, omnes vota dederunt,
et voces concordantium me sibi praefecerunt,
tunc me praelati solium conscendere jusserunt,
et claves rerum omnium ad manus tradiderunt.

18.

Rex juxta morem providus me statim confirmavit,
ut sim consiliarius, se palam declaravit,
et cetus camerationis libenter installavit, 16.
primus autem episcopus in templo consecravit.

19.

Haec binas per hebdomadas feliciter finivi,
post curas feci maximas, ut servem quae quaesivi,
et primas per industrias, ut plurima rescivi,
sic omnes statim literas, quas potui revidi.

20.

Bis mille, plures literas vetustas, et corrasas,
vix aliquibus cognitas ut legant nec tentatas,
per tot tamen vigilias non solum pariatas,
sed ordine repositas, habent a me paratas.

21.

Per temporum disturbia, quae sunt alienata,
recepi bona plurima, quae fuerant abstracta,
sed nec claustri pecunia per hoc est minorata,

nam victi per haec jurgia solverunt erogata.

22.

Proventus olim millia, qui quinque vix dederunt,
hac aucti sunt industria, quaterque tot tulerunt,
le tradita pecunia bis tantum invenerunt,
am quatuor annis millia quater decem manserunt. 17.

23.

raeterea non computo sex millia pro templo
his annis in clenodio quae dabam et argento,
ter tot in aedificio, magno cum incremento,
exposita non numero, nec facio memento.

24.

Sic muros, atque Monachos erexi duplicatos,
hos nemo vidit numeros per septingentos annos,
parietes tam solidos, et omnes fornicatos,
ornatusque tam varios non vidit inauratos.

25.

Nunc Juvenalis dissere: cur tantis cumulatus
amare fles, et misere tractaris captivatus?
per fratres absque judice fuisti degradatus
et cunctis tam despotice: dic cur es spoliatus?

26.

Deus amat iustitiam, haec me non derelinquet,
secundum conscientiam quod dico me defendet,
ui patitur calumniam: numquid non exardescet?
haec perdit cor, et animam, sanctus ob hanc tabescet. 18.

27.

Cui me sum fassus hominem, ut reliquos errantem,
ut corrigat flexibilem conventus deviantem,
rogavi; sed ad faciem abscondit latitantem,
expertus post hoc rabiem, extrema minitantem.

28.

Praelato nihil dicitur: nec unquam admonetur,
quod per osores spargitur, pro vero retinetur,
post hos palam inquiritur, et nihil edocetur,
nec mihi quidquam fiditur, sed totum subticetur.

29.

Duo fuerunt invidi, qui me palam oderunt,
hi crimen forricarii de me false sparserunt,
post horum dicta Monachi, palam inquisiverunt,
per tres menses gyrovagi, quod placuit fecerunt.

30.

Per tempus istud nullibi quid certi penetrarunt,
sed patrem turpes filii turpissime foedarunt,
et tamen ultra turbidi, se vehi demandarunt,
sed per me sunt prohibiti, quod minime curarunt.

31.

Per milites admoniti: ne pergant intimavi,
sed nil curabant invidi, solus post properavi,
cum sisterentur profugi, factum quod non speravi, 19
nam resistentes tutudi, sic vim vi debellavi.

32.

In crastino dum repeto claustrum, quid non est factum,
campanae sonant subito me clamant arestatum,
plebei cursu concito /: sic erat demandatum /,
me capiunt, et Trutio me tradit captivatum.

33.

Ut sapio jam sapiet conventus per hunc actum,
et amplius non faciet, quod mecum nunc est factum,
nam scio, quod efficiet decretum pridem datum,
Cham patrem non inveniet, a se non veneratum.

34.

Verba quaecunque profero, repleta sunt dolore,

nam credo, quod a Domino sim tectus hoc furore,
sit contra me continuo Deus cum hoc terrore,
ut sciam, quod vel ideo sim dignus hoc moerore.

35.

Quid Ezechiam divitem tibi Deus placentem,
in fine fecit flebilem? quid omnibus carentem?
hic fecit vitam stabilem, et solem recedentem,
et tamen miserabilem se vidit, et dolentem.

36. 20.

Et Salamoni caelitus totum quod est affulsit, ?
qui cunctis in scibilibus, quod voluit, hoc jussit,
huic tamen mundi laqueus, heu! turpiter illusit,
afflictioque spiritus, et vanitas consumpsit.

37.

Saul mille dum percusserat David decem quassavit,
pro Saule totum fecerat, et Goliath prostravit,
quid David non meruerat, qui populum salvavit?
necem, quam Saul indixerat, pro lucro reportavit.

38.

Moyses amicus superis, hic quanta non effecit?
signis fulsit innumeris, pharaonem submersit,
suos e diris vinculis omnes laetos recepit,
et mare subtum singulis pro pavimento pressit.

39.

In omni tribu populi, nullus febricitavit,
nulli dolebant oculi, nec quisquam aegrotavit,
nec vestis, sed nec loculi, nec crinis hos turbavit,
nec magnitudo scopuli per viam contristavit.

40. 21.

Manna coeleste ferculum, de caelo praestabatur,
et copia coturnicum per castra spargebatur,
quidquid habet convivium totum sentiebatur,

dedit panem Angelicum, quem nullus merebatur.

41.

His multo plura praestitit, a Deo recreatus,
heu! multa tamen pertulit, a populo vexatus,
hic propter coepas restitit, et semper est rixatus,
pro suis beneficiis: sic Moyses muneratus.

42.

Adhuc unum commemoro Joseph virum cordatum,
quem undequaque video per foeminam tentatum,
sed non adhaerens vitio, se sentit captivatum:
Josephum in hoc laqueo, quis neget coronatum?

43.

Deus scrutator cordium! quid ego sim dicturus?
ante tuum judicium, nec justus est securus,
te tamen ut propitium, cum sim invocaturus,
non dabis in opprobrium, cum tuus sim futurus.

44.

Quod habeam malevolos, nec veritas tacebit,
qui gressus meos singulos foedarunt apparebit,
sed hos mihi contrarios Deus brevi docebit,
et mundo palam cognitos in tempore delebit.

45.

Hoc Monachorum pravitas cum multis practicavit,
quos mundi curiositas, et Daemon defraudavit,
dum enim ipsos charitas Abbatis increpavit,
bonum saepe protervitas Abbatem tumulavit.

46.

Quod agitur forinsecus si Monachus vult scire,
ad hoc cum non sit positus, jam cepit resilire,
nam talis sit sollicitus, ut possit impedire,
quod male sibi conscius se putat jam ferire.

?
?
22.

47.

Hinc anxius fit animus, languescit amor patris,
et frigidus fit spiritus, nec placet bonum pacis,
interea Diabolus auctor iniquitatis,
confundit semper gravius ausum synceritatis.

48.

Qui non curant imperium Abbatis, sed minantur, 23.
si statim ad initium, ut lex jubet caedantur,
secundum hoc judicium si tales verberantur,
quod erit privilegium, per quod salvi reddantur.

49.

Est proprium claustralibus velut phariseorum,
ut murmurent in omnibus ad instar rusticorum,
vobis loquor Abbatibus, froenate jus priorum, ?
qui tacent, et dant fratibus discursus detractorum. ?

50.

In me sit ergo cernere mundi perversi morem,
dum oves audent regere, legitimum pastorem,
et omni sine judice discipuli doctorem,
ad carceres intrudere, quis vidit hunc rigorem?

Finis.

Ex his colligitur, quod quidam non male fatur,
Declinans Monachus Daemonis auget opus.
Semper priorem Monachum dic deficientem,
Quam mundi ditum dixeris esse ritum.
Vae! fiet Monachis praelato qui velut aspis 24.
Obsistunt, justis non faciendo satis.
Cum ludit temere Cham natus cum patre Noë,
Ut dignus fuerat, sic maledictus erat.
Quomodo nunc Monachi fient velut immaculati,
Qui sunt Abbati dira venena patri?
Quam male tunc facitis, cum spernitis optima patris

Dicta, vel in cunctis obstrepitis monitis.
In Christo genuit sic Paulus Apostolus inquit,
Quot quot pro caelis imbuit astriferis.
Nec modo vult aliud praelatus sed petit istud,
Ut discant Monachi quaerere regna Poli.
In rebus mundi non debent esse secundi,
Sed sibi sint soli sicut erunt Monachi.
Quidquid agat mundus, Monachus velit esse secundus,
Qui mundum quaerit, nemo secundus erit.
Mundus ut immundus nulli valet esse secundus,
Qui mundum sprevit, quisque secundus erit.
Gaudia pacifico sunt semper, erunt quoque claustro,
In quo suavis odor, Relligionis amor.
Magnus at horror erit claustrum, quod foeda replevit
Ira, vel omnis honor perditus, atque timor.

Multum non orans, pro vana laude laborans, 25.
Omnia pertentans, est Monachus petulans;
N obilis arma gerens, castrensia moenia quaerens,
A bbatem spernens, est Monachus periens.
C or non compescens multum docto sibi fidens,
H istrio discurrens, est Monachus saliens.
V ilia detrectans, comptum studiosius optans,
S emper sollicitans, est Monachus blaterans

Non teneat propriuM, sed discat spernere MunduM
Cui viget in purO pectore RelligiO
Semper amet NumeN quod verum scit dare lumeN
Et velit in linguA tardior esse suA
Cui paret orbis adhuC oculos non explicet illuC
Hoc fecit JosepH non velut ille LamecH
Qui dolet in gemitV vel psallere vult sine risV

semper devotu S talis erit Monachu S.
Mendacem sociu M fugiat vel mente superbu M,
Optet pro vot O cuncta subesse De O.
Non numerum Numine N, vel sacrum quaerat acume N (26).
A Mundi pomp Ai subtrahat eloqui A.
Cultior hac illa C non quaerat currere postha C
Herodis vah! va H! non teneat, sed ah! a H!
Verus in affect V nullum defraudet in ast V,
· Sic fiet venu S quilibet hic Monachu S.

Aulae, quae prompta Ministris.

Regum sollicita quicumque senescit in aula,
aut fuit, aut semper postulat esse miser.
Ad res portandas asini vocitantur ad aulas,
dum nihil est in re sollicitantur aquae
Brumales tenebrae, mulier, nec non favor aulae,
quam cito succrescunt, tam cito depereunt.
Vult complementum nunc quilibet aula potentum,
quod petis edicunt, non tamen attribuunt.
Ut faciunt fluvii, sunt in sermone ministri,
declinare sciunt quod dare non cupiunt.
Verbum laudatur si factum tale sequatur,
aulicus esse solet, sicut arundo viget.
Gratia Regalis, non est res perpetualis,
gratia Magnatum nescit habere statum.
Nec laeto domino, nec caelo crede sereno,
festine mutant, se sua dum variant.
Caesar ut in causa subsistat consonet aula,
turpe ministerium destruit imperium.
Serpens in cauda pro Caesare si repat aula,

non regit, at regitur, qui nihil exequitur.
Cui plus est praestans, aulis est charior exstans, 27
in propera posta currit iuncta rota.
Munus, et argentum pervertunt corda potentum,
aulicus erigitur, nummus ubi loquitur.
Quisquis in ambigua se nunc accomodat aula,
omnibus ad quare scit sua vota dare.
Ut credas ori nimium ne crede colori,
luditur in verbis, luditur atque jocis.
Quis non laedit haerum, qui nunc vult dicere verum ?
qui stat pro vero, displicet omnis hero.
Ostia clausa sera mihi sunt dum profero vera,
est ars nunc omni cum ratione loqui.
Ostia panduntur falsis, quia falsa loquuntur,
auditur rite, qui loquitur lepide.
Si non audires dicentem falsa, nequires
contemptor falsi, dicere falsa mihi.
Dixit Anaxagoras niveas nigrescere brumas
multas haec aetas vidit Anaxagoras.
Laudavit niveas corvi vulpecula plumas,
laudat adulator, quod fuit ante pudor.
Est onus, haud virtus, quo te lactat crocodilus,
cantica dum promit, mille venena vomit.
Hinc tibi vitandi sermones undique blandi,
fallere per gemitum, scit crocodilus herum,
Nec bene creduntur, nimium qui blanda loquuntur,
se occultant spinae sub statione rosae.
Dulcia praefatur, qui fallere praemeditatur,
fraudes, quae noceant, aulica verba parant.
Decipiuntur aves per cantus saepe suaves:
praefert obsequium, qui parat opprobrium
Hinc sunt fallentes, plus justo blanda loquentes,

laudanti nimium tu rogo crede parum.
Aulicus illudit verbis, dum verbera cudit,
cuilibet aptato splendor inest gladio.
Blandus adulator varii fit criminis auctor,
nam gaudet sanctos perdere saepe viros.
Nulli sis blandus, sed verus, et omnibus aptus, 28.
cum te vox urget, vox sine fraude sonet.
Nunc verus quivis caeli servabitur astris,
aulicus extremis, excruciandus aquis.
Namque dolus transit, virtus post funera vivit,
ut quis promeruit, taliter et recipit.
Dicis te miserum, fateor cum crimine totum,
te video miserum, sed sine labe probum.
Quanta sit aeternae qui volvit gloria vitae,
vult propter dominum, dicere vera Deum.
Dissimula, simula quoties occasio tuta,
moribus et mores, temporibusque geres.
Temporibus crebro tu nunc servire memento,
omnibus, ut tempus serviat hinc melius
Nil injustitiis magnis infestius aulis
funditus hae muros debilitant validos.
Cuncta trahunt ad se Magnates aurea, ut ante:
Magnatesque trahunt ferrea quaeque volunt.
Tecum nil mihi sit gens aulica, nam bonus inquit:
cum das parca satis, prodiga quando petis.
Scindis corrigias ex pelle mea tibi latas,
currit eques multum non equitans proprium.
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum,
da mihi da veniam, quod modo nulla petam.
Qui petit is recipit, sic lex nobis sacra dicit,
o! cur non pridem rex mihi dixit idem.
Jam pridem didici, quod floret homo quasi flocci,

qui procul ex oculis, muneribusque levis.
Cernitur uberior prope fontem qualibet arbor:
est aulis major, qui fuerit propior.
Vix modo pomposis aliquis ditescet in aulis
omnia ni sit agens, vel ratione carens.
Caesaris et verbum tumulavit saepe ministrum,
quem favor extollit saepe furor sepelit.
Una voce viget, qui extollitur aulicus, hinc et
una voce ruit, dum fit, ut ante fuit.
In gradibus multis magnis ascenditur aulis,
dum quis descendit, plus satis unus erit.
Nunc sedet ad portam non invitatus ad aulam, 29
aulam non tangit, qui suus esse cupit.
Carnes pullorum dentes comedunt dominorum,
ossaque dant servis sed sine carne suis.
Cum domino cerasum mos damnat mandere servum,
dat matura sibi, dura vibrando tibi.
Consumptis cerasis cupiet jactare capillis,
hinc male fit servo mandere cum domino.
Commoda si quaevis ne principibus socieris,
principio ingenium, saepe dat exitum. ?
Ut leo nunc sapiat catulum percussio vexat,
aulam quod stimulat cominus insinuat.
Aulae ___ectores varios sibi sumunt mores, ?
dissimulant glires, extenuant culices. ?
Foetor olet caulae, melius, quam mobilis aulae,
aula superba timet, caula quiete viget.
Aula, propheta bonis raro socientur alumnis,
nec tibi sit famulus, presbyter, aut medicus.
Parens virtuti nescit modo regibus uti,
aulam vitabit, qui probus esse cupit.
Nec modo, nec post cras, virtus, et magna potestas,

convenient animis, sunt variata nimis.
Vitam cum summis, operamque impendimus aulis,
praemia pro meritis, haec tibi do similis.
Aula dedit nobis rescripta notata papyris,
et sine corde manus, unde nec ulla salus.
Eleyson Monachis, sed Kyrie psallitur aulis,
hic tenor est aulis, ille tenor Monachis.
Aulica veloces imitantur moribus ignes,
errat, ad haec tutam qui putat esse viam.
Si prope fulgebis consummet te malus ignis,
horridus algebis, si procul abfueris.
Si memor in cistis, praebes quae prompta Ministris, 30.
semper fulgebis, si propius fueris
Ludotum varias cum quaerat abunde latebras,
non est cur aulam sollicites variam.
Tardus et hinc aulam tu quaeras sic variatam,
nec fugias gemitu, si cupis esse diu
Usibus edocto, si quidquam credis amico,
vive tibi, et longe nomina magna fuge.
Nugas aula leves, et fumos vendit inanes,
dicat, qui pridem sollicitavit idem.
Sorte potens vera, nulli ratione benigna,
dum vult esse scopus, scorpius est ad opus.
Qui cupit elatum, cubat is prope Caesaris hortum,
qui capit exiguum, non capit imperium.
Nam debet suavem recto de pectore mentem
perdere, qui totis aulicus est animis.
Invidus est in re, semper fictoque favore
aulicus, hinc in re, dat tibi quod sine spe.
Muneribus plenas dextras laudabit apertas,
contingens vitae gaudia laetificae.
Aula dabit curas, ergo si vivere curas, 31.

hoc unum cures, ut tibi sit requies.
Est inimica bonis cum sit contraria veris,
deliciis gaudens, fit sua nulla videns.
Fortunatorum speciem mentita locorum,
errorem plantat, pessima fraudis amat.
Gloria ventosis quam tollit ad aethera pennis,
aula, vel emeritis vix dabit apta viris.
Virtutem simulans, vitiis quam plurima donans,
nomina falsa gerit, sicut et inde perit.
Fidis in causa raro nunc utitur aula,
exulat integritas, candor, ut et probitas.
Rara avis in toto pius aulicus est tibi facto,
vae! dat synceris aulica vita viris.
Aula placentinos vult semper habere ministros,
non Veronenses, qualis at inde quies?
Ergo felices dico: postquam bene dites,
aulica contemnunt, nec bona plura petunt.
Tempus ergo veniet, quando se sicut oportet,
invidia miserum sentiet esse virum.

Aula profanatis sedes aptissima verbis: 32.
Virtutem retrahens, et vitium retinens.
Luxus enormes facit, et sine numine mentes,
Aulae difficilis forma quibusque viris.

Luditur ex aulA nam dantur plurima verbA:
dum calet atque gelV, flectet et aula genV.
Qui facit omne vigiL, cras scit, quod sit quasi nichiL,
nam pro te gratA, verba dabit vacuA.

Ah! venit ex aulA, quod flat tibi mobilis aurA,
Vi, res pro fructV, tollit ubique manV.

Lex fit in aula excuL, lex aulae impingitur ut miL.
Aula etenim in causA, vult sibi cuncta bonA.

Taurini 19. Julii, 1708.

Est et Amicus Amor. 33

Usus amicorum bonus hic, et ubique locorum,
vivere non optat, quem modo nullus amat.
Rex fit mendicus, quem nullus amabit amicus,
est miser omnis homo, qui caret hoc medio.
Non est nunc medicus melior, quam fidus amicus,
quisquis eget charis, nam sibi nemo satis.
Si cupis addictos, vel multos poscis amicos,
nil cape, pauca petas, gratior ampla feras.
Quem fecit victus, non est syncerus amicus,
te non, ast aurum diliget ille tuum.
Tempore felici multi numerantur amici,
si fortuna perit, nullus amicus erit.
Sanguine devictus tibi firmior exstat amicus,
stultis, ut nunc fit: quisquis amicus erit.
Qui procul ex oculis, procul est a lumine cordis,
visus amatur honor, quod videt urget amor.
Cedet amicus agris, cedet pro munere pagis, ?
qui vel his assertis cedere, rarus eris. ?
Dum tolerator gravius, tunc nosco quis sit amicus,
fructus amicitiae tempore tristitiae.
Non est veridicus subridens omnis amicus, 34
qui tibi subridet vix aliquando favet.
Semper devites, sub falso nomine mites,
naso stertentes, sunt etiam vigiles.

Vult tua plus quam te non est syncerus ut ante,
non erit ille tuus, qui cupit esse suus.
Cur non in dextra tibi cor, sed parte synistra ?
est ratio cuivis: corde sinistre facis.
Est oculis gratum speculari semper amatum,
quidquid amor svadet, cordibus intus adest.
Fallitur at multis nimium qui credit amicis,
cor etenim falsum novit habere dolum.
Chari rixantur, per se quoque pacificantur,
ira perit subito, quam dat amicus homo.
Ergo devites cum charo quaerere lites,
si rixas quaeris, tunc cane peior eris.
Dilige sic homines, ut eorum crimina vites,
qui tua plus quaerit, falsus amicus erit.
Qui te plus solito demulcet carmine blando,
te capere insidiis nititur ille suis.
Quod fornax auro, facit hoc tribulatio justo,
est per virtutes certa probanda fides.
Qui socius mensae per te tractatur amice, 35.
si tollas epulas perdit amicitias.
Eligat haud temere, sed quem quis noscit amicum,
quem quis ut admittit, semper habendus erit.
Alter ego est verus, multumque probatus amicus,
quo nihil /: utque decet :/ dulcius esse solet.
Nil tibi submotis pro voto floret amicis,
etsi pro norma sint cumulata bona.
Quas inopi, et vero laetus donabis amico,
per nullas noctes eripientur opes.
Invenies multos si res tibi floret amicos,
si pereat tibi res, tunc fugit ipsa fides.
Quod tibi vis fieri, fieri proscribere noli,
talia sperabis, qualia dona dabis

Esto bonus charis, ne damnum quod patiaris,
quae melius servit, proxima vestis erit.
Felix, qui casum, finire potest per amicum,
felix, qui miserum non sinit esse virum.
Non est delictum, si quis modo perdit amicum,
quem si quis coluit, sed malus ipse fuit.
Si fuero quarum divisor particularum, ?
paucula sumo mihi plus ima trado tibi.
Te primo benedic, nam presbyter ipse facit sic 36.
est malus ille mihi, qui malus ipse sibi.
Corde Deum toto cole, dilige, consule voto,
hoc pietatis opus, sit fideique scopus.
Numen semper ama, fratrem post semper honora,
contra si nolis teque, Deumque facis.
Primus amor Domino, sed congruit alter amico,
ista propheta docet, lex vetus ipsa jubet.
Tu venerare Deum post hunc venerare propinquum,
hoc semper solus postulat ipse Deus.
Dilige sic proprios, ut non spernas alienos,
et grates toto, pectore psalle Deo.
Quod sibi quis fieri non vult: non inferat ulli,
hoc facias homini, quod cupis ipse tibi.
Hinc fit amicus amor, si pro te fit sibi fervor, ?
nam sic succurrens, vix male fit faciens.
Tu caveas dici nimius laudator amici,
tempore demonstrat quantus amicus erat.
Interdum calidus subito frigescit amicus:
verus amor calidus, turpis amor gelidus.
Hunc fidum dico, bene qui succurrit amico,
nam tibi tunc constat, quantus amicus amat.
Tempore felici non cognoscuntur amici, 37
qui sua solus habet, vix aliena petet.

Antiquus gladius, vetus atque fidelis amicus,
credo scis horis haec valuere nimis.
Non est antiquus per te spernendus amicus,
calceus antiquus nunc geritur melius.
Qui gravis in populis, multis comitatur amicis,
qui levis in loculis, est levis in populis.
Si tollis charum, populus te dicet avarum,
si multum quaeras ibis homere foras.
Temporibus nostris omnis gaudebit amicis,
qui dare scit majus, tollere saepe minus.
Hinc verum dico, quod amicus debet amico
te, tua, quidquid amat, plena crumena parat.
Utilior nullus tibi sit, quam fidus amicus,
qui tua damna suo leniat officio.
Quidam mendicus privatus lumine visus,
cum claudo miram fecit amicitiam.
Caecus ait claudo, collo gestabere nostro,
iste ait: et tu oculis te rege caece meis.
Sic senio dudum nudam quoque frondibus ulmum, 38.
complexa est patula vitis opaca coma.
Agnoscensque vicem naturae adamando parentem
reddidit officio mutua jura suo.
Informans cunctos, tales nos quaerere amicos,
quos teneat fortes foedere summa dies
Alta superborum fugit hinc penetralia regum,
in casa fateor paupere regnat amor.
Quaestio solvatur cum Castor ab hoste fugatur,
et pollux metuit, qui genitus genuit.
Cur ablativum dentem gerat in genitivum,
et cum occisor Castor amoris amor?
Illum dente ferit quia sic evadere quaerit,
Castor erat genitus dente secundat opus.

Castor vix oritur, moritur pollux ut amatur,
pollux vix oritur, castor amor moritur.
Sic alternando vivunt, moriuntur amando,
ac in morte fluit, qui modo vita fuit. ?
Mutuus occasus, semperque reciprocus ortus,
unius alterius vita, vel interitus.
Unus ut ire jubet fratrem petiturus ut audet, 39.
hic negat, et nihili ducit uterque mori.
Unus enim Pylades unus, qui mallet Orestes,
ipse mori Pylades, vult iterare vices.
Hoc unum in fidis, numquam defecit in istis,
caetera concordant, et sine lite sonant.
Felices homines queis nullae sunt modo lites,
sed servant verae foedus amicitiae.
Non est condignum multum mulcere malignum,
est tamen addicto fidere multa viro.
Multum ventotis nemo nunc credat amicis,
nam viget in firma pondus amicitia.

Ad cor syncerum quivis relegabit amicum,
Mens siquidem tenuis mobilis est hominis.
In solis dictis, prudens non credet amicis,
Cur? quia vi stimuli, ventus inest homini.
Unus, at excelsus Deus est tibi verus amicus,
Solus namque tuum non petit interitum.

Qui cum formicA, quaerit sibi commoda cunctA
talis nec tenueM, praestat amicus opeM.
Dantur et aestivI, qui non dicantur amicI,
si bene fit sunt hiC, quos tibi non benediC
Sicut hirundo gelV nolunt, veniunt at in aestV 40.
est ad cunctas reS, inspicienda fideS.

A falsa linguA caveas latet anguis in illA,
Mentitur veruM, falsus amicus heuM
In pompa verbI laus non consistit amicI,
Cor tenet huc illuC falsus amicus adhuC
Vnus in affectV vult uno vivere sensV,
Si talis fueriS verus amicus eriS.

Haec tibi pro fidis posuerunt carmina amicis,
ut discas quis sit: vel quis amicus erit.
Nunc quid amor possit, carmen tibi dicere poscit,
quid sit amor, quid erat, dicere non pigeat.
Qui primus juvenem puerum depinxit amorem,
quis negat auctorem consuluisse Jovem.
Vidit enim plures sine sensu vivere amantes,
et levibus curis perdere magna suis.
Hinc et ventosas frustra non addidit alas,
nec frustra placidum fecit adire polum.
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
nostraque vix ullis, permanet aura locis.
Et merito Thamatis manus est armata sagittis, H1
et pharetra ex humero pendet utrinque suo.
Nam ferit his hominem, quam primum natus ad orbem,
nec manet ex illo vulnere sanus homo.
Non si pegaseo veheretur in aëre dorso
tutus ab hoc puero, viveret unus homo.
Ad Tanaim fugias, tibi det mercurius alas,
semper adhaerebit sicut amor fuerit.
Est occultator, tamen est et caecus amator,
nam caecum semper versat amator iter.
Quit amor caecus, non est amor arbiter aequus,
nam deforme pecus judicat esse decus.
Quisquis amat luscam, luscam putat esse venustam,

delectant mea me, quemque suam, tua te. ?
Stultus quando videt, quod pulchra puellula ridet,
mox fatuus credit, se quod amare velit.
Gaudet adulta toro crepitante ciconia rostro,
quam si quis ducat, virgo senilis amat.
Cum sit Germanis major substantia litis,
vim, quae commovit fors ab amore trahit.
Sunt duo, quae nullum possunt intrare cor unum,
vanus amor mundi, verus amorque Dei.
Est perfectus amor virtutis quem facit ardor, 42
quo sine nil facies, nec bene amare potes.
Si nihil est in re casto nunc majus amore,
in caeli patria qualis amicitia ?
Mira tibi volucris nunc Avea dicta modernis, ?
floribus ex salicis fulva creatur avis.
Umbratur fluvius, flos concipit, et gravidatus,
se post mergit aquis, sicque creatur avis.
Haec avis a coitu stat libera, fit sine foetu,
sicut enim peperit flos ita sola fuit.
Ova adversatur, nec avi posthac sociatur,
et fit nobilibus nobilis inde cibus.
Hunc dic felicem, qui castum spirat amorem,
talis enim Angelicum castus habet meritum.
Nescio quid sit amor, nec amo nec amor, nec amabor,
hoc tamen est constans: moritur omnis amans.
Non est numen amor veterum, sed moeror, et error,
numen amor nullus, numen inane venus.
Quot campo flores, tot sunt in amante dolores,
pectore delirat, quisquis amata parat.
Oh Deus! in quantis animus versatur amantis 43
omnibus pallet amor, crescit et inde dolor.
Pallida conformem facies monstrabit amorem,

omnis amans amens, est amor insipiens.
[..]m iuvenis virgo bene nubet candida prisco,
quam bene vel calido, vitrea lympha mero;
[P]riscus amat iuvenem forsan plus quam calor ignem,
frigidus gelida priscus amatur aqua.
Hinc laus in causa: nam si simul ardeat illa,
sustineat flammas, quae domus una duas?
[C]aecat amor mentes, ac interdum sapientes,
vina venus multos, nunc generat fatuos. ?
[E]tsi foedatur cuivis placet id, quod amatur,
nam delirat amor, nullus et inde pudor.
[E]st amor optatus dulcor passim sed amatus: ?
cuius odor sapidus sed sapor insipidus.
[C]edit amor verus nimium de pectore serus,
verus amor solo solvitur in tumulo.
Non affectatur quod mens modo non speculatur, ?
cum vitam claudes, tunc ab amore quies.
[E]t dolor gratis discedere rebus amatis,
tandem fert tristem mors inopina diem.
Illi poena datur, qui semper amat, nec amatur:
dico tibi breviter, dilige me pariter.
[E]st amor ingratus, cum non fit amator amatus, — 44.
in nostra patria, Marce ut ameris ama
[Q]ui tenet occultum fidum, teneat hunc ut adultum, ?
per quod fit moeror, spargere nescit amor.
Est amor in nobis, in lignis, ut latet ignis,
utque ignis lignum, sic amor urit herum.
Ligna sed in cinerem, vanescit et ignis in auram, ?
ergo cinis fateor, fit quoque fumus amor.
Quatuor ista metus, rancor, dilectio, census,
invertunt totum, praepediuntque bonum.
Verus amor miserum numquam contemnit amicum,

hinc tam paucus amor, sed regit omne furor.
Cui bene succedit, fidos modo saepe videbit
cui male succedit semper egenus erit.
Sorte patet misera, cui fit dilectio vera,
nam miserere mei, dicitur aere levi. ?
Cur fluit omnis amor, refluit Veneris quoque moeror?
causam moerori dat Venus orta mari.
Est perfectus amor, qui primo est numinis ardor,
post affert fratri, quae cupit ipse sibi.
Non est tam charum, quod nunc est quotidianum
quod se longe affert, dulcius esse solet. ?
Omne bonum pretium vilescit nunc per abusum,
albo rejecto me cibo pane nigro.
Qui pectit raro cum pectine pectit avaro,
ut valet insipidum redolere quod nimium. ??
Unusquis amat patitur, dominatur quisquis amatur: 45.
quisquis amat servit, quisquis amatur agit.
Adamus costam propter solam dedit Evam:
hanc propter solam perdidit ac animam.
Nil ratione carens, ratio nihil est nisi credens,
nil sine amore fides, spes alit hic homines.
Certa sagitta fides, arcus tibi sint ut amores,
spes tibi sit nervus, meta scopusque Deus.
Re careat chara, qui non gustavit amara,
semper post noctes nascitur alma dies.
Quod rarum charum, quod semper adest fit amarum,
quod noviter prodest, dulcior esse solet.
Quae venerem redolent, [iires!] amplexibus haerent,
semper amatrices dant in amore vices.
Sicut qui canis ignem supponit aristis:
sic erit in gremiis foemina pulchra senis.
Vix alicui fortes sine vi rumpentur amores,

dura pati discat plurima quisquis amat.
os ego faelices in mundo dixero cives,
unus quos ardor junxit et unus amor.

erus amor firma gaudet splendescere flammA
et neque vel tennem vult violare fideM
illa Cupidines requies fulgebit amicO
omnis enim fateor, pectora torquet amoR

ura sub inductA latitat scintilla favillA
talem dico seneM si videat juveneM
unc in opente domO frigescit et ipse cupidO
divitiis alitu R luxuriosus amoR

re conspectA scit amoris crescere flammA 46.
ente alimus visuM corde cupidineM
tia lascivO vult multiplicare cupidO
Restaurando reoR corda fatigat amoR.

Magnus in Arte valor.

Ars est in factis, sicut prudentia in actis:
ars agit exterius sed ratio interius.
Musarum sortes, ex post et Apollinis artes:
hae poliunt animos, atque levant miseros.
Multi constantes vitam excoluere per artes,
arte suos mores corrigiendo leves.
Sonum doctrinae placida mollitur ab arte,
vix aliquosque viros ars sinit esse feros.
Est labor artificis pompis pretiosior omnis,
artibus excultum non reperi miserum.

Artibus ingenuis quaesita est gloria multis,
ars qualis fuerit, sic opus artis erit.
Ars compensabit quid quid natura negabit
ars nunc assiduo nascitur ex studio.
Artem discamus, praxim semper teneamus
scire tuum prodest, si tibi praxis adest.
Ars male laudatur, si nil ex inde sequatur
est nihil ars in re, si nihil in facere.
Non habet is lucrum, qui nullum perficit usum
qui nunc magna potest, practicus esse solet.
Abiicit ad partem stultus quam noverat artem: 47. ?
quisque laborabit, quod tenet et didicit.
Qui bene quid didicit, semper cum laude senescit:
qui scit laudatur, nescius abiicitur.
Merces mercator, stivam laudabit arator,
en numerat miles vulnera, pastor oves.
Festina lente, doctus fit nemo repente:
omne quod est nimium, vertitur in vitium.
Nunc lege nunc ora, nunc cum fervore labora
sic erit hora brevis, sic labor ipse levis.
Res valet, ars praestat, vires perit, ars mihi restat,
ars illum nutrit, quam bene quis didicit.
Qui multum vigilat, praedives in arte laborat
nec vult continuo stertere talis homo.
In sudore omnem qui mandat mandere panem:
non dat foelices absque labore dapes.
Si te perpetuae delectant praemia vitae
non te nunc major terreat inde labor.
Ingenii vires nunquam sine pondere tractes:
nec te tentabunt quae fieri nequeunt.
Ille cavenda timet, quicumque timenda cavebit
et fugienda facit, qui facienda fugit.